


Theses Theologico-Historicæ Ad Nativitatis Jesu Christi Servatoris Nostri Historiam

Heidelbergæ: Ex Typographejo Electorali Aulico-Academico, Per Andream Hörth, [1729?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873764374>


Druck Freier  Zugang





93

Fa 1092 (93.)



THESES
THEOLOGICO-HISTORICÆ
AD
NATIVITATIS
JESU CHRISTI
SERVATORIS NOSTRI
HISTORIAM,

QUAS
SUB PRÆSIDIO
LUDOVICI CHRISTIANI MIEGII,
Ss. Theologiæ Doct. & Professoris, atq;
Ephori Collegii Sapientiæ,
ACADEMICÆ VENTILATIONI
IN AUDITORIO THEOLOGICO
SUBMITTIT
JOHANNES PETRUS MULLERUS,
MISAVIA - PALATINUS.

Ad diem 31. Januarii. Anni MDCCXXIX.

Horâ consueta. 37.

HEIDELBERGÆ, Ex Typographejo Ekectorali Aulico - Academico,
Per Andream Hörth.

VIRI
PERILLUSTRI, PLURIMUM
REVERENDIS,
EXCELLENTISSIMIS, CLARISSIMIS,
ERUDITIONE PARITER, ATQUE
PRUDENTIA VENERANDIS,
SENATUS ECCLESIASTICI PALATINI
DIRECTORI
ET
CONSILIARIIS
FAUTORIBUS ATQUE PATRONIS SUIS
OMNI OFFICIORUM GENERE
NUNQUAM NON PROSEQUENDIS
THESES HASCE THEOLOGICO - HISTORICAS
TANQUAM
GRATI ANIMI ΤΕΚΜΗΡΙΟΝ,
BENEFICIORUM PERENNE MONUMENTUM
PERPETUANDÆ OBSERVANTIÆ PIGNUS

Sacras Facit

Respondens



Σ. Θ.

THESES AD HISTORIAM NATIVITATIS CHRISTI.

THESIS I.

In Ano clauso natum esse Servatorem nostrum Jesum Christum tradit Orosius Libr. VI. Cap. 22. & VII. 2. 3. eumque defendunt Bucherius, Norisius, Pagius. Nascente Christo Janum resecratum fuisse credunt Kepplerus, Blondellus, Masson. Nituntur illi fragmento Taciti ab Orosio laudato: *sene Augusto Janus patefactus, usque ad Vespasiani duravit imperium.* Nituntur hi testimonio Dionis Cassii, qui in fine Libr. IV. tradit, devictis à Druso Germanis, à Tiberio Dalmatis, à Pisone Thracibus, anno V.C. DCCXLIII. *Decretum equidem fuisse, ut Jani Gemini templum, quod bellis hisce exortis apertum fuerat iis compositis clauderetur, ne vero id fieret, Dacos equidem obstinisse, sed hisce similibusque Dalmatarum, Germanorum atque Catorum motibus intra breve temporis spacium repressis, qua propter*

A victo.

victorias decreta ipsis erant , aut , ut clausio Jani , fieri debebant praestita fuisse Julio , ac Fabio Coss i. e. A. V. C. DCCXLIV , sive decennio ante aram vulgarem. Fragmentum Taciti incertius est & generalius , magis stringere videtur testimonium Dionis , cum primis , cum & plura paulo post cum Germanis , Armeniis , Parthis recruduerint bella. Sed sit hoc in medio , certum tamen est , inde quidem quam plurimis in unum Corpus redactis , hinc compositis civilibus bellis , totoque nunc Corpore uni tantum Capiti subiecto , non modo ut scribit Nicolaus Damascenus in Exe. Valesianis , Nationes tum Gracas , tum Barbaras , sed ipsos etiam eorum animos in quietum statum fuisse redactos , sed & nunquam Romanos , atque eorum socios , quæ verba sunt Strabonis Libr. VI. pag. 195. tanta pace bonorumque omnium abundantia fuisse gavisos , quantam Caesar Augustus præbuit , postquam ad eum solum summa rerum est translata. Scilicet tranquillus DEUS , ubi suæ præsentiae & gratiæ edere vult testimonia , tranquillat omnia. Lato omine in tam pacatam domum venit JESUS , qui expiando peccata mundi , abolendo iram DEI liberando conscientiam ab angoribus & servitute , dirumpendo parietem integerinum inter Judæos & Gentes , promovendo exercitium mutuae charitatis , cum isthoc effectu , ut variis à DEO concessis donis sibi invicem Christiani sine discrimine Gentium & institutorum inservierint , pacem mundo dedit , atque reliquit longe præstantissimam.

II.

VOX *Imperialis* à Luca adhibita non est nimis extendenda , non totum notat orbem habitabilem , à Majori sit denominatio , uti quidem pleræque Gentes exaltæ Romanis vel subiectæ , vel saltem , ceu Seres & Indi , per literas supplices factæ sunt , & tum quidem istiusmodi hyperbole commode locum obtinet , quando intra breve tempus magnæ & incredibiles ad imperium fiunt accessiones , quo sen-

fensu id sumit Polybius in historiae suae initio: *Nam quis erit, inquit, adeo nihili homo, aut ignavus, quin scire cupiat, quomodo, aut quo rerum administrandarum genere πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην, univ[er]sus orbis terrarum annis LIII. & ne iis quidem totis sub unius Populi Romani imperium fuerit redactus.* Non est tamen etiam ea vox nimis restringenda, nec sub οἰκουμένης titulo tantum Judæa nec πάσης οἰκουμένης nomine solummodo Judæa, Samaria, Galilæa, Pææa, totumque illud regnum, quod sub imperio Herodis fuit, intelligitur, latior vocis usus est etiam in scriptura, & apud Josephum, maxime in hoc argumento, πάσης οἰκουμένης θεοῦ εἰς τὴν Καίσαρος erat scribit Josephus, *Augustus primus univ[er]sum censuit,* dicit Plinius, nec obstant circumstantiæ apud Evangelistam, omnium minime temporis descriptio, verba enim, *illis diebus,* late patent; Non sine ratione vero τῆς οἰκουμένης Lucas meminit monemur eâ descriptione, & nexu immediato descriptionis mundi atque Judææ, totum propemodum orbem unam tum quasi civitatem factum, & incolas Orbis cives atque Socios Urbis fuisse, ita vero profecti Oriente tanto facilius rerum per totum orbem potiri poterant, sic tanto commodius ad nostrum Tranquillatorem Schilo (forte à Judæ filio Schela sic dicto) fieri potuit מִיָּמֵינוּ i. e. ad hunc unum confluere, huic obsequium pariter atq; cultum præstare poterant populi, omnes, Gentes οἰκουμένης.

III.

POST divisas vastissimi imperii provincias Octaviano Cæsari ex sententia Munatii Plancii nomen Augusti datum fuit, scilicet, ut jam tum, dum colebat etiamnum terras, ipso nomine & titulo consecraretur, *Nam*

Sancta vocant Augusta Patres Augusta vocantur.

Templa Sacerdotum rite dicata manu,

abstinuere equidem Christiani ab omni cultus illius excessu, non abstinuere tamen ea voce; Verba enim valent usu, & usus saepe vi-

tiosæ origini multum detrahit, est etiam saltem in officio Magistratus *obsecrari*. mirè autem sibi tum gratulati fuerint Romani de *Augusto*, *Sodales Augustales*, *Ludos Augustales* honori cultui, & memoriæ Augusti dedicaverint, populo & ecclesiæ suæ tum DEUS Regem vere *Augustum* & dedit, & si non etiam Romanis (quorum verba Plinii referuntur: *fit & candidus cometes, argenteo crine ita refulgens, ut vix contueri liceat, specieque humanâ Dei effigiem in se ostendens*) certissimè saltem Magis de cœlo ostendit, quem tanquam Divinum Regem jam Bileam descripsit, quando non modo *Sceptrum ex Israele exsurrecturum, sed Stellam etiam ex Jacobo i. e. Regem cœlestis originis, intemeratæ puritatis, infinitæ à nobis distantia, visui equidem nostro exiguum, sed in se magnum, & toto terrarum orbe majorem, qui Stellæ in modum noctu appariturus, tenebras mentis suâ doctrinâ & Spiritu dispulsurus, & gratiosissimo nos influxu beaturus sit, sensim & per gradus lucis pariter & efficacitæ processuram prædixit Num. XXIV. 17.*

IV.

QUod ab *Augusto* exiit decretum, ut totus *Orbis Romanus* describeretur, non alia saltem inter Romanorum Socios intentione tum publicabatur, quam ut publicè notæ essent Romanorum facultates, nondum deferre census, nondum pati tributa adigebantur, saltem Nomina & patrimonii, dignitatis officiorumque discrimina in tabulas referebantur, & arduum tamen illud & inadfectum Sociis opus erat, quam *arduum illud in Gallia* fuerit se *experimento cognovisse* testatur *Claudius* in *Inscript. Gruteri* pag. 582. Judæis non poterat non ea descriptio esse molesta, ægre ferebatur, si extra necessitatis casum recenserebantur à propriis Regibus, quod cum tali censu judicaverint reatum quandam esse conjunctum, *Exod. XXX. 12. Coll. cum 2. Sam. XXIV. 2. 3.* obstare id judicabant Promissioni de Semine *Abrahæ* futuro instar arenæ innumerabili, ægrius
sine

fine dubio , quando talis descriptio suscipiebatur à Rege Alienigena , quod istiusmodi census publicæ quasi servitutis professionem continerit , uti quidem talia in argumentum contemptus à Romanis arripiebantur , ita Cicero pro L. Flacco : *quam cara*, inquit, *Dii immortalibus* (illa Gens Judæorum) *esset , docuit , quod est victa , quod elocata , quod servata*. Et hinc , vel hoc ipso tempore , vel saltem paulò ante hanc descriptionem , cum *tota gens fidem suam Casari & Regi juramento obstrinxisset , Pharisei non jurarunt* , Joseph Ant. Jud. Libr. XVII. Cap. 3.

V.

NON sine emphasi solius Augusti mentionem facit Lucas , *cen-*
sum enim Populi ter egit Augustus , primum & tertium cum col-
lega , medium Solus , Sueton. VIII. Aug. 27. Primus ab Augusto actus fuit ipso & Agrippâ Consulibus , i. e. anno 28. ante æram vulgarem : Tertium Lustrum egit Sexto Pompejo , & Sexto Apulejo Coss. i. e. anno post Christum natum 14. Medium Augustus solus Censorino & Asinio Coss. fecit , i. e. tertio vel quarto anno ante Nativitatem Christi , ad hunc omnino descriptio Orbis Romani à Luca relata pertinet , nec enim post civium Lustrum statim census Sociorum fiebat , nec intra unum annum absolvebatur , unde , cum in reliquis censibus Collegarum mentio non fuerit omissa , vid Monumentum Ancyranum in calce Suetonii à Grævio editi , de hoc vero ibidem dicat , **NUPER. LUSTUM. SOLUS. FECI. LEGI.** hinc patet decretum illud commodè à Luca *soli* tribui *Augusto*. Quæ vero causa Augustum ad descriptionem hanc impulerit , non exprimitur. Davidis censum Auctor Libri Chronicorum Diabolo adscribit , I. Chron. XXI. v. 1. & idem tamen 2. Sam. XXIV. 1. DEO vel iræ DEI in Jsraelem attribuitur , scilicet quia peccatis Israelitarum motus DEUS , Satanæ ad mala quævis populo DEI infligenda proclivi , habenas laxavit , ut censum illum in-

Spiraverit Davidi. Hermannus Deusingius, qui Historiam Nativitatis Christi allegoriis obscuravit, etiam per Cæsarem Augustum sensu mystico Diabolum intelligit, qui commissurus prælium adversus Christum, populi DEI Regem, consultaturus an posset cum copiis suis illi occurrere, censum hunc egerit, ut numerum populi sui sciret, & vim Imperii pernosset, opponens suum δόγμα δόγματι divinis, suamque descriptionem descriptioni divinæ. Sed missis istiusmodi lusibus ingenii humani, qui quidlibet in quodlibet convertunt, *suspiciamus* potius in hoc censu cum Bernhardo Lamy Libr. I. Comm. in Harmon. Evang. Cap. 9. *admirandam Dei Sapientiam, qua utitur hominibus scientibus & nescientibus, sinit quidem homines proprios suos motus exercere & suis obsequi studiis sic tamen affectus eorum regit, ut suis ab æterno deliberatis consiliis serviant.* Procul enim dubio nec Deus, nec Christus obversabatur animo Augusti, intelligebat Imperator è re sua esse vires totius imperii habere numeratas, verum Deus Imperatore utebatur, ut testimonio cui refragari nemo posset, constaret Jesum esse de domo Davidis, adde eo & loco, & tempore natum, quo juxta Prophetarum vaticinia nasciturus erat. Ita non solum Republica Hebraorum, sed & totum Imperium Romanum constitutum videtur, ut Christo deserviret. Vere rerum omnium finis fuit Christus.

VI.

HÆC de Auctore descriptionis illius. Quo Censore usus fuerit, expeditu non est tam facile, nec enim de sensu verborum Luc. II. 2. *Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντι τῆς Συρίας Κυρηναίῳ*, omnibus eadem mens est. An Lucas illam descriptionem primam vocet, *quæ peracta fuerit à Cyrenio*, an potius illam ante institutam fuisse velit, quam Syriæ Præsidem Cyrenius egerit, quæritur? si *affectarum numero* pugnandum sit, prior, si pondere *rationum posterior* expli-

plicatio valebit, hanc enim admittunt verba, commendat historia, postulat scopus Evangelistæ.

VII.

Admittunt posteriorem versionem verba, nam *primo* adjectivum $\pi\rho\omega\tau\eta$, $\pi\rho\omega\tau\eta$ & comparatè, & pro adverbio frequenter sumitur, atque genitivus $\eta\gamma\epsilon\mu\epsilon\nu\epsilon\upsilon\sigma\iota$ non ab adjectivo, sed subintellecta præpositione, eaque non $\delta\eta\iota$, sed $\alpha\upsilon\tau\eta$ regitur, confer Joh. I. 30. XV. 18. XX. 4. Matth. XII. 45. XXI. 36. Luca XI. 26. & cum maxime 38. neque *secundo* articulus additur voci $\pi\rho\omega\tau\eta$, sed tantum dicitur $\alpha\upsilon\tau\eta\tau\eta\epsilon\lambda\eta\theta\epsilon\alpha\eta\gamma\epsilon\mu\epsilon\nu\epsilon\upsilon\sigma\iota$ quæ commodè redduntur, *prius contigit, quam Præses esset*, sic & *tertio* $\eta\gamma\epsilon\mu\epsilon\nu\epsilon\upsilon\sigma\iota$ longe frequentius munus Regis, Præsidis, Procuratoris ordinarium, quam munus cum Imperio extraordinario demandatum notat.

VIII.

Com mendat illam historia tum *Quirini*, tum *populi Judaici*. Quirinus enim ordinarium Syriæ Præsidem decennio demum post, cum Archelaus Viennam esset relegatus, agere cœpit. Vid. Joseph Antiq. Jud. Libr. XVIII. Cap. 1. Extraordinaria autem potestate illum huc missum fuisse, & legitur nusquam, & cum rationibus vitæ Quirinii non admodum convenire videtur. Scribit equidem *Pagius* in Apparatu Chronologico ad Annal. Baronii pag. 31. *Cum Quirinius Vir Consularis id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra Homonadenses feliciter confecisset, eundem Augustus in Syriam cum extraordinario Imperio misit, ut tum ibidem, tum in Judæa, quæ Gens erat sociæ & amica Populi Romani, Censum perageret.* Sed cum ex Taciti Annal. Libr. III. clare constet Quirinium Consulatu sub Augusto functum *MOX expugnatis per Ciliciam Homonadensium Castellis triumphum fuisse adeptum*, Sulpitius autem Quiriniis Consulatum

latum cum Valerio Messalla Barbato! gesserit i. e. A. V. C. DCCXLII. Ante Christum Natum VIII, illum per sex vel quinque annos & in Oriente hæsisse, & Triumphum tam diu distulisse, prorsus est improbabile. Fuerat etiam in Oriente, cum *Rektor datus esset Cajo Armeniam obtinenti*; Tac. ibidem, sed Cajum demum post Nativitatem Christi in Orientem abiisse exploratissima res est, quippe, qui non ante celeberrimam illam Naumachiam & Juliae relegationem, quæ anno V. C. DCCLII. contingere vid. Vellejus Libr. 2. C. 100. in Syriam missus fuit. Credit supra laudatus Bernhardus Lamy in Appar. Chronol. Part. 1. Cap. 10 §. 3. duarum descriptionum à Josepho in Historia Quirinii mentionem fieri, quod dicat: *αγρε tulisse Judeos τὴν ἐπὶ ταῖς ἀπογραφαῖς ἀκρόατιν* mentionem *FACTARUM DESCRIPTI-ONUM*, nempe inquit, etiam ἀπογραφή prima, que simplex fuerat descriptio, non illis placuerat, sed latuit Virum Doctissimum etiam quemlibet censum singularem à Græcis ἀπογραφῶν nomine venire, ita Dio Cassius Lib. XLIII, pag. 226. Cæsari exhausta multitudo ἐν τῶν ἀπογραφῶν ex recensione patebat. Libr. LIII. pag. 496. καὶ τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλει, censum etiam peregit Libr. LIII. pag. 545. Αὐγῆς ἀπογραφὰς τε ἐποίησατο Augustus censum egit. Clem. Alex. Strom. Libr. I. pag. 407. edit. Oxon. Natus est autem Dominus noster XXVIII. anno ὅτι πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γίνεσθαι ὅππῃ Αὐγῆς cum primum jussisset Censum fieri sub Augusto.

IX.

Sed quæ tum Populi facies fuerit operæ pretium est, ut explicemus, quo pateat, ob graves rationes Lucam etiam posterioris Census mentionem fecisse. Relegato Archelao Judæi proprio destituebantur Rege, Judæa Syriæ annumerabatur, atque per Quirinium ad deferendos Censum & solvendum tributa adigebantur Judæi; Hæc equidem ante, quam Archelao concederetur ab Augusto Ethnarchia, à Romanis solenni 50. virorum legatione (quibus octo mil-

millia Judæorum Romanorum sese adjunxerant) quam instantissime expetierant, *ut mutata Reipublicæ forma post hæc sine Regibus agerent, & contributi Provincia Syria Romanis parerent Ducibus*, vid. Joseph. Antiq. Jud. Libr. XVII. Cap. 12. sed uti quondam in postulandis Regibus, ita tum (multo vero magis post hæc) in illis rejiciendis suis commodis erant infensissimi. Quod enim propriis destituti fuerint Regibus, augendis seditionibus, latrociniiis, motibus interviit: *tantus*, scribit Josephus paulo ante, *tum*, nempe seditionum, *furor per totam Gentem grassabatur, eo QUOD PROPRIUM REGEM non haberent, qui multitudinem bonis rationibus contineret in officio, qui verò externi ad castigandos seditiosos venerant, malum potius exacerbarent, graves superbia simul & avaritia.* Quod Syria DECOG. IX. XV Appendicem esse voluerint Judæam, decus nationum, id docuit, quod Judæorum extrema instarent, qui abhinc non amplius Gens futuri sint, quæ sola habitet, quod Thronum etiam Christus suum nunc transferre voluerit in Syriam, sed nil eos magis ussit, quam Censuræ per Quirinium actus. Venerat ille in Judæam verè ut *Quirinius* i. e. *hastatus*, animo non blando, sed severo *acribus ministeriis* præfectus, uti nec, teste Tacito, vel inter Romanos *leta ejus memoria ob sordidam & præpotentem senectam fuerat.* Censuram illis imposuit & extorsit omni ratione gravem, tum quod diminutio bonorum ademptio fuerit Symbolorum hæreditatis, tum quod censuram nil aliud crediderint, quam *manifestissimam servitutis professionem*, tum quod pensitationes illas in certo monetæ genere, & quidem argenteo (Plin. Libr. XXXIII.) nec alio quam Romano in signum subjectionis, & recognitionem dominatus Romanorum ipsis solvere debuerint, tum quod, qui ab imaginibus per legem abhorruere, Cæsaris tamen imaginem in nummis ferre, manibus contrectare, corradere, & Quæstoribus tradere debuerint (id quod quondam Arabes tam molestè tulerunt, ut cum Romani ejusdem pretii auri pondus nollent, quantum census conficiebat, hi vero obtenderent, *Arabibus nefas esse Romanorum incisione & figuratone vul-*

tuum in suis nummis uti, foedus Arabicum sub Justiniano Secundo ruptum fuerit. Diac. Historiæ miscell. Cap. 19.) tum quod in hisce denariis solvendis non Cæsaris solum imagines, sed multa simul execrabilis superstitionis monumenta extiterint, nam & Cæsarem ipsum, os humerosque Deo similem, Cæsarie radiata, lauro redimita referebant, & in inscriptionibus nunc Augusto PROVIDENTIA, nunc plane SALUS GENERIS HUMANI adscribebatur, accedit, quod in progressu Expeditiones atque victorias Romanorum, etiam in Judæos, viderint illis inscriptas. Quibus de causis Censum hunc Cyrenianum & Judæi omnes ægre ferebant, & Judas Gaulonites paulo post cum Sadduco Pharisæo populum hac de causa ad defectionem sollicitabat, & Christo etiam hinc à Pharisæis tendiculæ struebantur, num voces *de Censu* per Jugulum redituras forte editurus esset. Quæ perpendentes, hoc additamento Lucam id sibi voluisse credimus, Nativitatem Servatoris debuisse Judæis longe gratissimam esse, descriptionem illo tempore factam docere, in desertum Gentium illos fuisse deductos, & liberam Gentem Romanorum Breviario fuisse insertam, sed levia saltem hæc fuisse mala, initium tantum dolorum, graviora mox successisse, cum maxime Censum Cyrenianum, cujus utique tristis memoria toties recrudescat, quoties tributum solvant,

X.

POSTulat autem hunc verborum Lucæ sensum præterea specialis Evangelistæ Scopus, quo propositum ipsi simul fuerat, ostendere JESUM MARIE Filium illos in sua nativitate habuisse Characteres, quibus Messiam Prophetæ agnoscere voluerunt, illâ enim versione, quod descriptio ab Augusto tum mandata prius contigerit, quam Syriæ & sub Syria Judææ Præsidem egisset Quirinius, monebantur, Immanuel in mundum venisse, qui ante erat nasciturus, quam *Damascus* Syriæ Metropolis caput fieret etiam
Jn-

Judæorum Jes. VII. 5. 14. tum enim Judæa nondum fuerat *ἡ ἐπιβολὴ τῆς Συρίας*; eadem in memoriam illis vocabatur gravis illa *Exactio* quam *ſuis* Dominus *Oculis* ſcilicet in Carne Humana, *viſurus* erat una cum *tranſeunte & redeunte per terram* Zach. IX. 8. ſed & cenſu bonorum à Romanis imperato & impoſito, luculentiffime patebat, nunc *receſſiſſe Sceptrum à Juda*, proinde & Tranquillatorem veniſſe, Gen. XLIX. 10. ſcilicet quando duplicantur lateres, venit Moſes, per multas tribulationes datur introitus in Regnum DEI, & uti forte hinc Rabbiniſ in proverbio eſt, *ſi viſes Generationem, cui multa ſunt afflictiones, exſpecta Redemptorem.*

XI.

IBant ſinguli ut proficerentur, quiſque in ſuam civitatem, ſcilicet Cenuſ, teſte *Dione Caſſio*, non concernebat tantum τὰ τῶν πόλεων *publica*, ſed etiam τὰ τῶν ιδιωτῶν *ea, qua ſpectabant ſingulos*, privatos. Cenuſbantur autem non tantum ſinguli *Cives Romani præſentes & abſentes* aut jure Civitatis donati, ſed etiam *Socii*, non tantum qui in Provinciis Romanis, ſed etiam, qui ſub Regibus Sociis erant, fuerint enim illi Reges nomine, dignitate, auctoritate in populum tales, Regnum tamen in beneficium & propemodum feudorum hodierno ritu, à Romanis ſupplices è geniculis accipiebant, & cum ſubditis Cæſari fidem jurabant, Regno illis *vetere conſuetudine* conſeſſo, *ut haberent*, ſecundum Taciti verba in *Agri cola, ſervitutis instrumenta & Reges*. Non tantum etiam, qui in illis regionibus habitabant, ſed etiam qui ex iisdem in alias per Orbem Romanum regiones diſperſi fuerunt, veluti Judæi, ad quos ſub univerſali nomine hîc cum maxime Lucas reſpicit. Hî vero in ſuam quiſque civitatem ibant, tum ex lege Romana, nam, *ex edicto Claudii Conſulis, qui Socium Latini Nominis erant, in Civitates ſuas redire debebant, ne quiſ eorum Roma, ſed omnes in ſuis Civitatibus cenſerentur.* Liv. Libr. XLII. Cap. IV. tum ex more Judaico,

qui per Tribus, Gentes, & Familias describi solebant, meliusque recenseri non poterant, cum primis ex quo undique disjecti fuerant, quam si singuli in eam se conferrent urbem, ubi tota familia sedem & domicilium habebat. Ita vera profirebantur scilicet *Censum*, ut quisque primum Civium suam agnosceret Civitatem, tum Nomen, Genus, Annos, de se, Uxore, Liberis atque servis, officia etiam atque artes, pecunias item & prædia, etiam juratò, ederet, quæ deinde in Tabulas publicas Civitatum describebantur. Dionys: Halicarn: Libr. IV. C. 19. In *Civitates* suas hoc animo singuli, non simul, sed unius tractus incolæ post incolas alterius (unde forte venit, quod Census Græcis sæpius numero multitudinis veniat) profecti fuere, Molestè tulisse Judæos etiam hanc descriptionem non dubitamus, sed eo tamen *ibant & quidem singuli*, potuissent variis de causis vel detrectare Censum, vel moras saltem necere, potuissent opponere, non alium se habere Regem atque Dominum, quam DEUM, semen Abrahæ esse, ortos ex libera, nullius servos fuisse, esse sibi suæ etiamnum Religionis Regem, non convenire hujusmodi instituta cum suis sacris, promissionibus, cultu, rem periculi & molestiæ plenam esse, si professionis hujusce causa ab extremis Imperii partibus iter sit in Judæam faciendum, sed *ibant tamen singuli, quisque in suas Civitates*. Festorum causa iter eò sæpius convertebant, & forte etiam illo tempore, *Ex omni Gente sub cælo erant homines piæ Hierosolymæ nationales sacrorum* ergo, maxime à Paschate ad Pentecosten ibidem in diversoriis *commorantes* Act. II. 5. Jura Romanorum armis & impressione parta per diuturnam possessionem erant confirmata. Nihil Judæis ad istiusmodi mandata præter obsequii gloriam erat relictum. Augustus ipse mira beneficentia Judæorum animos sibi conciliaverat, ipsis præ aliis populis æquior, Judæos bonam Urbis Romæ partem trans Tiberim tenentes & suis sacris utentes toleravit & non tantum pari eos jure cum aliis civibus habuit, sed etiam teste Philone in Legatione ad Ca-
jum

jum, quoties menstruas pecunias & frumenti distributiones popu-
 lus accepit, Judæorum etiam rationem habere voluit, adeo, ut si
 quando ea liberalitas in Sabbathum incideret, diribitores publicum
 beneficium in posterum diem differre juberet, sed ideo tamen cum-
 primis *ibant singuli in suam quisque civitatem*, quia Dominus eo
 mentem eorum omnium direxit, ut consilio ejus sub hoc opere
 latenti inservirent. Scilicet *non est hominis via sua*, non est viri ambu-
 lantis aut *formare* (aptum, rectum facere) aut *firmare* (& certum
 figere, atque profequi) *gressum suum* Jerem. X. 22. quorum *corda*
Deus tangit, obsequuntur Regi 1. Sam. X. 26. ut exemplo ita directione
 hacce vel in ortu suo homines docere voluit Christus, esse Magistra-
 tum colendum, eique in negotiis hujus mundi (sint molestissima,
 sint periculosissima & difficillima) omne obsequium, quavis
 animi submissione & observantia deferendum.



EPI M E T P A.

I.

OMnia fiunt tempore suo. Etiam quod factum est in diebus illis, cum cresceret Johannes, & nasceretur Jesus, adeo factum est tempore suo, ut nisi Jesus Nazarenus illo tempore & modo venisset, quo prodit in mundum, non fuisset Messias. Nunc verò dicere possumus. In plenitudine Temporis misit DEUS Filium suum.

II.

IN Orbe habitabili, cum primis, ex quo peccatum fuit in Mundo, opus fuit Magistratu, estque ille non tantum ex permissione, sed ordinatione Divina institutus, nec in pœnam hominum, sed potius in multiplex humani Generis commodum, quo munus hocce tum mediate, tum immediate tendit Rom. XIII. 1. 2. 3. coll. cum Luca I. 1. fuit etiam talis in Novo Testamento, inque ejus initio, & durabit hæc ordinatio usque ad consummationem Seculi. Quando autem finis erit, (non antea) tum Christus Patri Regnum tradet, i. e. tum abolebit omne Imperium & omnem potestatem, & potentiam, oportet enim eum Regnare i. e. inde Gladio Magistratus, hinc Ministerio Verbi,
ad

ad cöercendum malum , defendendum , & gubernandum Eleptos ,
uti , omniaque Spiritu & verbo suo dirigere ad Ecclesie adifi-
cationem , donec omnes suos Hostes , qui peccato conservan-
do & promovendo inserviunt , posuerit sub scabellum pedum
suorum 1. Cor. XV. 24. 25.

III.

JUdeorum Rex tum erat Herodes , Herodis & Judeorum
Cæsar Augustus , sed fuerit hac ratione altus supra al-
tum sunt Alti (DEUS TRINUS) supra istos , Eccl.
V. 7. Sit in mundo nil mage sui Juris , quam Cor Regis , ab
alio unice dependeant פלגי מים , aquæ ductus & rivi aquarum
(Homero Odyss. II. ἄρνας quæ κήπων σκιδναύται) Corda tamen
Regum in manu Jehovæ sunt , ut rivi aquarum in manus
hortulani , flectit ea , quo vult Prov. XXI. 1. Officina sin-
gularis Dei Regis Cor est. Excitat Spiritum , convertit cor
illius , dirigit omnia Ejus cogitata ad eos , quos sibi proposuit ,
eventus. Itaque sic honorandi sunt Reges , ut tamen maxi-
mè timeatur DEUS , qui Regum renes possidet i. e. occupat
& moderatur Psalm. CXXXIX. 19.

IV.

JUre suo usus est Augustus , uti possunt etiam Reges alii ,
quando subactis per bellum populis & formatâ Republicâ ,
mandata ad ipsos etiam universos spectantia , mittunt. Hec
enim est Natura Victoria , ut serviant justè , qui servati fuere.

V.

V.
RECTÈ fecerunt Judai, quod istiusmodi mandatis morem gesserint, non rectè fecere Pharisei, quod Casari & Herodi hominum præstare noluerint.

VI.

NON eadem equidem Regnorum & Rerumpublicarum omni tempore facies est, qui nomen saltem profitebantur sub Sen-
 tio Saturnino, & Quintilio Varo, hi deferre census, pati Tributa adigebantur per Quirinum, sed eadem tamen subdito-
 rum animos obsequi gloria omni tempore decet. Laudandus hinc Joazarus, quod Populo obedientiam, etiam Censum solvendo præstandam suaserit, Culpandus contra Judas Gaulonites, quod ob censum à Romanis impositum Judæos sollicitaverit ad defectionem. Vera Religio Nexum inter Magistratum & subditos, non solvit, sed fortius constringit.


VII.


QUOD Nativitati Jesu Christi in Urbe Bethlehemitica descriptio tum Universi Orbis in genere, tum Judæorum in specie subservire debuerit, id cum suis circumstantiis argumento esse potest, inde quidem Jesum Nazarenum verum esse Hominem ex hominibus ortum, hinc verò eundem Verum Deum Dei que Filium esse, cui Laus & Gloria sit in secula, Seculorum!





2. *Arn* in Job: 20. 44. 5.
3. Ejuſ in Proo: 10. 10.
4. Horck in Canticum Cant.
5. Osiander de infelicitate impiorum.
6. Fechtius de generacōe Merſiae aeterna.
7. Meyer in Palm: 6. 11.
8. Schumacher in Palm: 16. 5.
9. Schram ~~de~~ ad Palm: 16.
10. Ejuſ ad Palm: 22.
11. Jablonſki in Palm: 40. 7.
12. Jüngſt in Palm: 40. 7. 8.
13. Jablonſki de perforatione aurium.
14. Ring in Palm: 100.
15. Schudt de Regno Merſiae.
16. Ejuſ de Regno Merſiae.
17. Ejuſ de Regno Merſiae.
18. Lampe de Tentoris Kedar.
19. Lampe de Lilio Saronitico.
20. Cremer de Summa Sapientia.
21. Michaelis de Salomonis ad Laetitiam exhortat.
22. Vitalokius ad Ies: 2. 22.
23. Andreae in Ies: III. 4. 14.
24. Meyer in Ies: 26. 20.


Werenfels. in Des: 63. s. 9.
Halstgin Dan: XI. 37.
Havens in Hag: 7. 8.
Mundinus de Gloria t'pili Secundi.
Galdwing de mysterio Trinitatis.
Bilefeld de Jesu Xto.
Hachman de Messia ejusq' negotio.
Pürthler de Xti adparitione in coelo.
Bramer de Filii Dri operatione.
Calixtus Fides Catholica.
Witsius in Synb: Aplicum.
Miege Theses Theolog: de nat: Xti.
Montag de Pseudodamo Socinianorum.











the scale towards document

igentiam naturæ talem indicat, quæ
 te aut immortalitate ejusdem consistere
 est. Minor inde patescit, quoniam Ada-
 i Paradisiaci fuit a Deo commissa. Cæte-
 quoque; intemperie & impotentia appetitus
 tur esse argumento sufficientissimo, eam
 n defuisse. Resp. 1) ad Majorem ejus-
 nem distinguendo inter *passionem perfecti-*
m. Si tolerantia laboris nec non famis
 ne integro fuit passio corruptiva, tum
 inde ejusdem mortalitas. Ita vero ne-
 n. 2) Ad eandem porro Minorem dici-
 sitim actualem, & quidem talem, quæ
 & potus naturæ destructiva, in homine
 ro fuisse unde, quæso, probabunt? No-
 tertiiavi istud verbum: In homine eti-
 . Quod enim in probatione de appetitu
 kitur, id ad hominem non amplius in-
 ajam labentem pertinet. Sin Majorem
 e & siti intellectam volunt, quatenus
 ; cibi ac potus naturalis, naturæque; per-
 quam destructivum *πάθημα*, tum eam
 omni profus jure ac merito explosum

Aliud profugium sibi quærun, cum dispu-
 non fuerat mansurus aeternum in horto Edenis,
 in aliam transferendus, & visione beatifica,
 Paradiso nondum affectus fuerat, demum do-
 nario fuerat moriendum, quantumvis imagi-
 ncorruptam, neq; perdidisset dominium origi-
 nus. Ergo. Consecutio Majoris videtur
): Siquidem primi Adami vita nondum
 tum animalis fuit, per eâ, quæ tradun-
 F tur